

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

CLXXXIV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](#)

tinere velint, præsidiis firmatas. Retinet ergo legionem Helveticam, licet equitatum Germanicum dimiserit. Desiderant & Hugonoti cum complicibus pacem, ut qui gravissimè attriti, respirare saltem vellent, nec tamen committendum existimant, ut eam habeant intutam subdolamque. Et proinde in acie novaculæ jam res versatur. At quis omnino sit futurus eventus, dies paulò post declarabit. Condæus etiamnum apud nos degit sub Magistratus protectione, civibus parum gratus. Et quia ex suis quidam perulantiis agere ceperant, graviter sunt multati. Cætus nostros Ecclesiasticos accedit interdum, sed privatam domi habet communionem, non sine nostrorum scandalio. Si pax in Gallia fanciatur, patriam repetet: siin abeant inventum consilia, aliam suarum rerum rationem inibit necessariò. Si quid accepero certi, te non celabo. Bene vale in Christo Jesu cum uxore, filiis, totaq; familia & symbiostis fratribus. Salutant te Coccinus, Füglinus & Grynæus. Basileæ, 22. Aprilis, Anno 75.

R. d. 1. totus ut semper

### S. Sulzerus.

#### CLXXXIV.

### *Salutem in Christo.*

**S**i durissimè mecum expostules, Reverende & Clatissime Vir, Domine & frater honorande, non habeo, quod opponam, nisi ingenuam peccati mei confessionem, nisi forte myriades negotiorum meorum clemens respicere, & mihi veniam dare digneris. Quid enim primo agam in tanta negotiorum multitudine, vix videam. Et nunc cum accedunt, ego vel absüm, vel adeo occupatus sum, ut vix hiscere possim. Et quantum de mea valetudine divinare possum, durabilis non erit, usque adeo vi-deo meas vires exhaustiri. Dominus pro sua bona voluntate mecum agat, quod videbitur & ipsi & Ecclesia & meis bonum. Quod vero ad tuum negotium, seu potius Ecclesiae & Scholæ attinet, vehementer miror, tamdiu extrahi; Sed spero hanc moram neque negotio ipsi, neque tibi, neque tuis nocitaram. Habent sçpenumero magna commoda etiam breves moræ. Majora ergo, ut spero, magna hæc mora. Et si hostes tui, veritate armati essent contra te, fortassis non tam diu fuisset extratum. Nec ignoras, quam nunc occupatus sit DEUS negotiis in Gallia, Belgico, expeditione Turcica, ut forrassis interea tibi sit expectandum, donec se se expediverit, ut posit etiam in causâ tua judicare. Quapropter te per Christum Jesum, per tuam ipsius & Ecclesie salutem oro, ne te ipsum variis curis crucies, fecisti officium, quod reliquum est, DEO & Magistratu commendas. Utcunq; enim cadat, pura

T t t 2

est

est conscientia. Dominus faciet, de quo minimè dubites. Exemplum Epistolarum ad Bullingerum scriptæ accepi, cui responderet etiam Bullingeri labor & Collegarum ipsius, quibus respondebo brevi & spero tibi etiam responsum meum probatum iri. Est enim scriptum virulentum & verè Zwinglianum, in quo sese prodit spiritus mansuetudinis scilicet, de quo hactenus sunt gloriati.

Illyricum mortuum esse, non mei sed Ecclesiae causa ago DEO gratias, fuit enim homo turbulentissimus. Et exigua spes de eo reducendo: Filius si quid machinabitur, habebit, qui eum reprimant, estenim audaculus. Tibi verò probari editionem colloquii Argentinensis, gaudeo, & audio ejus lectionem multos confirmasse, quosdam etiam in viam revocasse. In ejus editione & tui & tuorum mentionem feci vestris virtutibus & meritis dignam. Et scias, me ad vos omnes ornandos paratissimum esse. Bene & feliciter vale, & Collegio Ecclesiastico meo nomine reverenter salutem dicas. Raptim Tubingæ, 23. Aprilis, 75.

Tuus ex animo:

Jacobus Andreæ; D.

CLXXXV.

*S. in Christo. Reverende & clarissime vir.*

**S**ignificavit mihi, is, qui meas ad Excell. t. adfert, te nuper admodum literas ad me dedisse, ac jam responsum meum expectare. Ego verò jam longo tempore nihil me literarum ab Excell. tua acceperisse eidem respondi. Iraque quid respondendum mihi sit, ighoro. Credo autem, Excell. tuam de statu Ecclesiae nostræ, ex communis fama cognovisse. Magistratus superior jussit adversarios nostros, acerime novum Illyrici Manicheismum defendantes, discedere. Sed illi magna pertinacia magistratus mandata contemnentes, occasionem præbuerunt, ut tandem vi expulsi sint, quanquam cum viderent, rem serio tractari, profugi facti sunt. Vagantur igitur in aliis locis, nec tamen quiescunt, quin literis nobis molesti sint, & oviculas antea perterritas plus conturbent. Nobis igitur labores cumulantur & curæ augmentur, ut rursus Ecclesiae rectè constitui possint. Scribimus & erudimus seductos, ut in viam reduci possint. In quo auxilio DEI nobis & piorum precibus opus est. Mitto quædam, quæ proximis diebus edita sunt, eaq; Excell. t. iudicio reverenter subjicio. Rumor apud nos increbuit, Illyricum Francofurti diem suum, inter ingentes cruciatus, obiisse. Utinam hoc ante aliquot annos factum fuisset, jam fortassis in Ecclesiis nostris pax & tranquillitas esset. Vidi colloquium Argentinæ habitum typis exsulz, & gratulor Ecclesiae de eo: ac gratias vobis omnibus ago, quod illud adi-

ca-